



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Historia Pelagiana Et Dissertatio De Synodo V.
Œcumenica In Qua Origenis ac Theodori Mopsuesteni
Pelagiani erroris Auctorum justa damnatio exponitur, &
Aquilejense Schisma describitur**

Noris, Enrico

Patavii, 1708

§. 3. Cardinales Perronius, Valerius, ac Sanctus Carolus Borromæus minùs
rectè contrà Sanctum Augustinum adducti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72486)

initia virtutum attinet, conspiraverit; & tamen promiserat initio statim libri octavi, se in iudicium contra Augustinum conducturum testes *minimè suspectos*. Hactenus de Sadoletto, cujus quidem erratum libentius siluissim, sed Annati, & Donii ex Sadoleti verbis instituta contra Sanctum Patrem accusatio invito penitus, ac reluctanti hucusque dicta extorsērunt.

§. II.

Sancti Bonaventura, & Cajetani dicta examinantur.

Tertium testem opponit Sanctum Bonaventuram in 2. sent. d. 33. q. 2. art. 3. dicentem: *Ad illud, quod primò obijciunt in contrarium de verbis Augustini, dicendum, quod Augustinus in verbis illis non intendit dicere, quod parvuli sensibilibus cruciuntur, sed intendit eorum poenam manifestare quantum ad carentiam visionis Dei, & quantum etiam ad vilitatem loci, & hoc valde abundanter exprimit, plus dicens, & minus volens intelligi.* Verum negotium nobis non facessit Bonaventura contra Augustinum testimonium, nam eo loci loquitur de libro de fide ad Petrum Diaconum cap. 27. ubi legimus, pueros decedentes sine baptismo ignis aeterni sempiterno supplicio puniendos; qui liber est Fulgentii, non Augustini. Quare si communi illius sæculi opinione ductus Seraphicus Doctor Augustini illa verba esse putavit, cum alterius sint, ejus testimonio non perstamus, non enim illius dictum apud Judices quicquam ponderis habet, quo per deceptionem de quopiam aliquid affirmatur, quod non ab illo, sed ab altero assertum constat. Hinc Sancti Doctoris modestia elucet, qui Augustini sententiam, ut putabat, haud severiori censurâ perstrinxit, sed leni interpretatione mitigavit. At Annatus gravi supercilio eandem in sententiam tonat lib. 8. cap. 1. *Negamus crudelem consequentiam.* Rursus eo dicto, Augustinus plus dixit minus volens intelligi, semel Bonaventura usus est, & eâ in sententiâ, quæ à latere contra Pelagianam hæresim tradita est. Verum Annatus pag. 897. laudatâ Sancti Bonaventurae moderatione abutitur ad mitigandas Augustini sententias in quæstione de efficaciâ divinæ gratiæ, hæc enim scribit: *Et si quis instet, Augustinum aliis locis id exprimere, quis non videret, si hoc esset, nihil aliud sequitur, quam ut dicit Sanctus Bonaventura, illis locis Augustinum plus dicere, iis autem, quæ sunt à nobis allata, minus velle.* An verò illâ in sententiâ de pœnis parvulorum fuerit Augustinus, nihil ad rem præsentem facit, nam de libro de fide ad Petrum locutus est Bonaventura, cujus verba, quàm parum adversarios juvent, abundè superius diximus cap. 3. §. 1.

Audiamus quartum Cardinalem Cajetanum, qui sic loquitur 1. p. q. 70. art. 3. *Sustinent autem verba hanc Glossam, quia quando contra Averroem erat sermo, fas erat declinare in oppositum, ut Augustinus contra Pelagianos facit.* Hoc est, ait Annatus pag. 862. *excedere lineam necessariæ veritatis: ut sit nimia quædam severitas, & iniqua vexatio, quæ medium illud, in quo veritas sedet, transgredi jubet, si præcat Augustinus.* At medium se tenere clamat Augustinus, atque hoc primus mortalium docuit lib. 4. contra duas Epist. Pelag. cap. 3. ad Bonifacium Papam hæc scribens: *Ista nepharia, & damnabilia dogmata in hac tripartitâ divisione quisquis mente catholicâ exhorret, illius quinque partitæ latebras, insidiâque deviret, atque ita inter utrumque sit cautus, ut sic declinet Manicheum, ne se inclinet in Pelagium; rursusque ita sesejungat à Pela-*

gianis, ne se conjungat Manichæis, aut si in alterutris jam tenetur, nec sic se à quibuslibet alteris seruet, ut in alteros irruat. Quis igitur Cajetano in hoc credat, ac non potius Augustino coram Apostolicâ Sede hoc protestanti? Sed dices, impetu disputationis Augustinum extrâ sibi met statutos à se limites excurrere, hoc est extrâ lineam necessariæ veritatis, ut loquitur testium conductor. Miror, Annatum, qui capita Epistolæ Cælestini ad Gallos annexa, ipsius Cælestini esse putat, imò, quæ est hominis diligentia, atque eruditio, ne dubitavit quidem, hæc erambem iterum recoxisse. Verus illa fuit calumnia à Semi-pelagianis Augustino opposita, undè eodem fallacioso obloquutores Pontifex rejecit, ut §. superiori diximus, cujus sanè verba, cum illi accusationem repellant, pro defensione nobis etiam repetenda sunt, hæc enim scribit: *Quia nonnulli, qui catholico nomine gloriantur, in damnatis autem hæreticorum sensibus seu pravitate, si vè imperitiâ demorantur, piissimis disputatoribus obviare præsumunt, & cum Pelagium, atque Cælestinum anathematizare non dubitent, magistris tamen nostris, tanquam necessariam modum exceßerint, obloquuntur.* Sed Annatus, qui solam appendicem Epistolæ, Profundiores verò &c. antè oculos habuit, hæc in anteriori paginâ legere non valuit, vel legere, ac negligere idem fuit. Igitur Augustinus, Cælestino iudice, vel si negatis, saltem teste, lineam necessariæ veritatis non excessit. Quis autem unius Cajetani testimonium Sancti Cælestini Papæ contestationi præponendum ducat?

§. III.

Cardinales Perronius, Valerius, ac Sanctus Carolus Borromæus minus rectè contra Sanctum Augustinum adducti.

Sequitur quintus accersitus ex Galliâ Perronius & purpurâ, & erectis ex continuo cum hæreticis bello trophæis clarissimus, cujus sunt hæc verba, inquit Annatus: *Sat monui in quartâ mearum observationum, nos admodum distinguere proprias Sancti Augustini opiniones, dum loquitur, ut privatus Doctor, & ejusdem narrationes, quibus loquitur, ut testis usus communis Ecclesiæ, vel ea dicit, quæ Doctorum ætatis suæ communis consensui conformia sunt; ab unis siquidem argumentari nos tantum probabiliter, ab aliis demonstrativè.* Bene ille quidem, ac dignè de Augustino sensit; quis enim privatas Augustini sententias in Sacræ v. g. paginæ explicatione intrâ fidei canones refert? At hic controvertitur, quid de Augustini auctoritate Perronius sentiat in quæstione de prædestinatione, & gratiâ. Nam de Augustini auctoritate in iis, quæ ad divinam circâ homines providentiam spectant, testimonia te producturum in ipso titulo libri octavi sponderas. Liceat mihi Augustini hæc verba inspicere: *Ingredere, Perroni, ingredere, & consule cum fratribus tuis, à quibus nulla ratio, nulla tentatio te separavit, opus est tuâ, & maxime tuâ sententiâ: Lib. 1. contra Jul. cap. 6.* Arrige Annate aures, Perronius suum de Augustino testimonium profert: *Augustinus Maximus post Apostolos prædestinationis Doctor, imò os, & LINGUA VETERIS ECCLESIE quantum ad illam de gratiâ doctrinam: Lib. 1. Resp. ad Regem Angliæ cap. 12.* Quid te igitur, addit Augustinus, adjunxit, quòd Perronii, tanquam tibi suffragaretur, testimonium posuisti? Vis scire, an suam de prædestinatione sententiam docuerit Augustinus, ut privatus Doctor, an ut testis usus communis Ecclesiæ? Audi ipsummet

ipsummet hæc dicentem lib. de Dono perf. cap. 23. in fine: *Ac per hoc prædestinationis hujus fidem, quæ contrà vos hæreticos novâ sollicitudine nunc defenditur, nunquam Ecclesia Christi non habuit.* Non igitur eâ in re loquutus est Augustinus ut privatus Doctor, sed ut tradit Perronius, ut os, & lingua veteris Ecclesiæ. Quare quis non indignetur Annato, qui eos contrà Augustinum testes nominat, qui Sancti Doctoris sententias ad cælum usquè laudibus efferunt?

Ita-ne sextum contrà Augustinum testem dabit Verona nostra Augustinum, ut ais, Recentiore Valerium Venetum Cardinalem? Hic lib. 3. Rhet. Eccl. cap. 42. horum Clericos monet: *Beati Augustini scripta Clerici cautè admodum legant.* Ita enim acumine ingenii præstitit, & de rebus difficilibus tam subtiliter disputavit, ut non mediocri ingenio præditi viri ejus libros legentes in errores aliquando lapsi sint. Hoc egregium scholion attingit Annatus pag. 863. *Et hoc quid aliud est, quàm id ipsum, quod momentem audi vimus Bonaventuram, Augustinum plus dicere aliquando, & minus velle intelligi? O præclarum nostri commentatoris commentum!* Cardinalis Valerius nonnullos Augustinensium librorum Lectores lapsos in errore scribit, quod subtilissimum Augustini sensum minime assecuti sunt. Annatus ex Valerio indè lapsos dicit, quod Augustinus disputans plus quandoque verbis excurrit, quod non est de difficilibus tam subtiliter, ut ait Valerius, sed tam incautè, ut interpres contendit, disputasse. O Superi mites animos! Magnus ille Patriæ meæ Antistes Augustiniani ingenii acumen, atque in disputando subtilitatem, quam plerique licèt nobili ingenio præditi, assequi nequiverunt, commendat: Annatus indè contrà Augustinum excessuum accusationem sruat, ac testem contrà Sanctum Doctorem illum se dare fingit, qui est ejusdem Augustini eximius laudator. Eos sanè, de quibus Valerius loquitur, in errores lapsos fuisse, Augustini-ne, an ipsorum, qui Augustinum non intellexerunt, culpa est? Quis autem nesciat, plurimos profundos quorundam Sacræ paginæ verborum sensus non assequentes in hæreses ruisse? Ita-ne in Sacri eloqui auctorem Spiritum sanctum culpam devolvemus, an non in ipsorum potiùs petulantiam, qui ultra ingenii vires sese evhere conati sunt? Hinc eruditè Facundus Hermianensis Episcopus, qui pro tribus capitulis sub Juliano scripsit in lib. con. Mociam ait: *Quid autem, inquit, in hoc miremur, neque enim melius loqui potuit Augustinus, quàm Prophetæ, quàm Apostoli, & Evangelistæ, quorum mentibus similiter malè intellectis, & incongruè adhibitis tam multi suos defendere conantur errores.*

Notat ibidem Annatus, Sanctum Carolum Borromæum Valerium ad illud opus scribendum excitasse, idemque absolutum approbasse, undè uti Valerius, ita & Sanctus Carolus contrà Augustinum stare Annato visus est: *Ut idè, inquit, videri possit, ac debeat unum hoc testimonium esse duorum virtute, ac sanctitate Eminentissimorum Cardinalium.* Ita contrarium Sancto Doctore Sanctum Carolum facit, qui id ne somniavit quidem. At cum Valerius pro Augustino loquatur, suppar illi Borromæus addendus est. Sed age, ipsius Sancti Caroli de Augustino testimonium proferamus. Ille in Epistolâ ad Civitatem Mediolanensem ait: *Nemo est, qui ignoret, quantum utilitatis, & fructus attulerit Ecclesiæ Dei magnus illius Doctor Augustinus. Extinxit in Africa Manichæos, expulit Donatistas, in nihilum Pelagianos hæreticos redegit, Fortunatum Hæresarcham confutavit, & ut universa paucis complectar, omnia venena adversus Orthodoxæ Religionis pivitacem*

à Demone eructata sustulit. Hinc factum est, ut ex illius doctrinâ, & à Patribus eundem subsecutis, & à Synodis, à Theologis, ac Catholicis Academicis tot Ecclesiæ dogmata fulcimentum, & robur acceperint. Et hæc quidem fuit Sanctissimi Mediolanensis Antistitis de Divo Augustino sententia.

§. IV.

Falli eos, qui Sanctum Augustinum interdum iniquiorem libero arbitrio fuisse calumniantur.

Post Purpuratos testes ingentem aliorum Scriptorum catervam contrà Sanctum Augustinum trahunt, quos sigillatim repetere non vacat, eos verò ad certas veluti classes redigam, si qui plures in eandem de Augustino opinionem coierint. Et primo loco opponit Annatus lib. 8. Adamus per. 3. Calv. destr. cap. 7. & Decampsius lib. 3. Hær. Janf. disp. 1. cap. 3. Genebrardum Aquensem Antistitem in Epist. præfixâ Oper. Origenis, Albertum Pighium lib. 3. de Lib. arb. & Sixtum Senen. in Præfat. lib. 5. Biblioth. dicentes Augustinum interdum libero arbitrio fuisse iniquiorem. Vetus ea quidem, ac rancida Pelagianorum, & Semipelagianorum calumnia est. Julianus lib. 1. Oper. Imp. cap. 54 scribit contrà Augustinum: *Libera arbitrium in natura hominis perseverat, quod ut tu cum Manichæis negas, ita nos cum Apostolis, & omnibus Catholicis confitemur.* De Semipelagianis patet ex Epistolâ Prospero ad Rufinum, cujus verba data sunt §. 1. Quam tã autem veritate hæc à se calumniam Augustinus propulsavit, illos solum nescire arbitror, qui Sancti Doctoris libros nec à limite salutaverint. Totus liber de Gratia, & libero arbitrio pro humanâ libertate decernat, initio statim hæc scribit: *Quoniam sunt quidam, qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium, aut quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium, hinc aliquid scribere ad vestram charitatem, Valentine frater, & ceteri, qui simul Deo servitis, compellente mutuâ charitate curavi.*

Genebrardus ait: *Augustinus fuit iniquior interdum libero arbitrio.* Sixtus Senensis pag. 875. testatur, Sanctum Doctorem minis interdum tribuere, quàm par sit, libera hominis voluntati. Hi quidem interdum libero arbitrio minis æquum Sanctum Doctorem fuisse affirmant. At Decampsius proximè nominatus de eisdem scribit, Sanctum Augustinum persæpe libero arbitrio minis æquum fuisse affirmant. Neque hic fideliter testium dicta exhibent. Imò nec Sixto Senensi Augustinus indignaretur, qui apertè hæc habet lib. de Grat. Christi cap. 47. *Sed quia ista quæstio, ubi de arbitrio voluntatis, & Dei gratiâ disputatur, ita est ad discernendam difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur, quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Cum verò Julianus objecisset Augustino, dicere ipsum liberum arbitrium Dei gratiam commendando negari, respondet lib. 4. con. eundem cap. 8. *Non dixi negari arbitrium liberum, vel auferri, sed dixi, ut putetur auferri.* Albertus Pighius ineptissimus Sancti Doctoris censor est, nam lib. 3. de libero arb. hæc in Sanctum Augustinum effatire non extimuit: *Libero arbitrio alicubi videtur iniquior, etiam parùm illi quàm potest, tribuit: ejus facultatem vel extenuat, vel dissimulat, vel eludit, certè omnibus viribus desicit.* Quis autem impudentis hominis testimonio credat, cum Sanctus Hormisdas Papa in Epist. ad Possessorem scribat: